C APPENDIX.

Confer cum iam dictis facultatibus eas quas Leuistico recentiores tribuunt, & comperies prorsus easdem esse. Tradunt enim eius semẽ mouere menses & urinas, inflationes tollere, serpentiũ morsibus mederi, calculos confringere, sudores ciere, uulnera conglutinare, lienisq; obstructiones auferre: adeò ut hinc iterum constet, Leuisticum à Smyrnio non esse, saltem uiribus, diuersum.

DE SILPHIO. CAP. CCXCI.

NOMINA.

ΙΑΦΙΟΝ Græcis, Laser, & Laserpitium Latinis dicitur. Vulgo & officinis corrupta uoce, deflexa tamen quadam à Laserpitio pristini nominis umbra, Osteritiũ uocatur. Primùm siquidẽ, ut dictum est, Laserpitium, dein depraũata nomenclatura, Osteritiũ, postremo Ostritium cœpit appellari. Qui sanè lapsus facilis admodum fuit. Abiecta nanq; prima litera, Asteritium, & dein a mutato in o, Osteritiũ, ac postremo magis concisè Ostritium nominare imperiti cœperũt. Veteribus Germanis haudduBie Laſerwurtz dicta est hæc herba, quam quidem uocem, utpote semilatinã, posteri non rectè intelligentes, in Meyſterwurtz mutarunt. Qua quidem appellatione adhuc hodie omnes utuntur Germani.

Ostritium cur dictum.

FORMA.

Caulem ferulæ similem habet, folia uerò Apij, aurei coloris, semen latum, foliaceum, radicem quæ corticem nigrum obtinet, à qua liquor etiam modicè rubens, translucidus, myrrhamq; redolens, ac odoratus destillat. Ex qua quidẽ descriptione luce clarius constat, herbã hanc cuius picturã damus, esse Laserpitiũ, saltem germanicũ. Caulis enim ei fœniculaceus, seu ferulæ, hoc est, geniculatus, folia Apij in auri colorẽ languescentia, semen foliaceũ & latum, nempe quod figura exile foliolũ exprimit: radix crassa & multa, foris nigricans, intus candida, miraq; flagrans iucunditate, quę si uulneratur, liquor profluit lentus, ac modicè rufus, suauissimumq; spirans odorem, & linguam sua acrimonia uellicans, ut sanè nulla sit prorsus nota quæ reclamare uideatur. His accedit quod facultates Ostritij nominati à Laserpitij uiribus non discrepant, quemadmodum ex sequentibus patebit.

D

Laserpitium germanicum.

LOCVS.

Nascitur in Syria, Armenia, Media & Aphrica. Quod ex Armenia & Aphrica affertur suauissimum odorem habet, præsertim Cyrenaicum, unde & ὀπὸς, id est, succus Cyrenaicus appellatur. Nec hoc Laserpitium aliud est quàm concretus ille succus, quem officinæ Belzuinum, uel Ben Iuinum uocant. Quod uerò ex Media & Syria affertur, Dioscoride teste, uirosum odorem obtinet, ac putrilaginẽ resipit, ideoq; uidetur esse id quod hodie officinę passim Asam fœtidam nominant. Quod etiam hinc colligi potest, quod in hodiernum usque diem ex Syria Alexandrina, & hinc Venetias deportatur. Nostrum in montosis locis prouenit, ac in omnibus ferè hortis nunc plantatur.

Succus Cyrenaicus. Belzuinum est Laserpitium. Asa fœtida.

TEMPVS.

Iunio mense flores admodum exiguos ac candidos, instar Anisi, profert, atque subinde semen latum.

TEMPERAMENTVM.

Silphij liquor calidissimus est. Verumenimuero & folia, & caulis, & radix sat strenuè excalfaciunt. Nostrum etiam Laserpitiũ in uniuersum calidius atq; acrius est pipere ipso, adeoq; calefacit & exiccat in tertio ordine. Radix autem & semen, folia & caulem superant, ut in eo etiam efficacissimus omnium aliarum partium sit liquor, secundo loco folia, postremo caulis.

VIRES.

LASERPITIVM
GERMANICVM.